

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

Caput XXIV

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

quam imponunt, succum expressione transmittunt. Liqueor lethalis est. Puls reliqua, soli sacchari candi exponitur specie, siccata farina, aqua subacta in panis formatur modum. *Scalig. exerc. 153. l. 8.*

C A P U T XXIV.  
DE IMPIA, JUNIPERO  
& K A L I.

**I**mpiam à nu'lo tangi animali existimant, indeque ei nomen. Alias inter duos trita lapides fervet, præcipuo adversus anginas succo, lacte & vino admistis. *Mathiol. in lib. 3. cap. 115.* Qui gustaverint, nunquam eo morbo tentantur. Sunt qui in avium nidis inferi aliquid ex ea opinantur, arque ita non strangulari pullos avidius devorantes. *Juniperus* dura est; hinc lignum ad centum incorruptum annos. Ideo templam Dianæ Ephesinæ juniperinis trabibus extrui imperavit Annibal. *Plin. l. 15. c. 40.* Carbo illius accensus, & suo cinere obrutus, integro anno ignem fovet, si Chymistis credimus. Paratur ex eo balneum admirabile ad podagricorum salutem hoc modo. *Sumito ligni juniperi concisi libras 12. coquito in aqua in cortina magna, quousque tertia tantum pars superfit; deinde decoctum unacum ligno in labrum projicito. In hoc ubi descendit ager, sedeat umbilico tenus, & membra languide foveat; atque hunc præpuratum esse oportet. Mathiol. l. 1. Diosc. c. 87.* Adjuti hoc balneo multi podagrîci, ita ut cum antea continuo lecto jacuissent affixi, ad negotia postea reducerentur sani. Medulla illius in Numidia candida est: in Æthyopia nigra, in Lybia purpurea. *Scalig. exerc. 181. f. 9.* Ea etiam in scobem comminuta Afri Medici, felici successu, vice Guajaci ad morbum Indicum utuntur. Morbus hic (dicam obiter) à Iudæis ex Hispania in Africam importatus, ibi non nisi remedio deleri potest. At si laborantes in Numidiam aut Nigriticam sese conferunt Æthyopiam, solius cœli beneficio convalescunt. Ex cineribus

ribus *Kali* plantæ sal conficitur. Hic dissolutus cum contritis lapidibus pro vitris conflandis innotans veluti pinguedo; quæ refrigerata durefcit lapidis instar, atque axungia vitri vulgo dicitur; pulverizata dentes mire nitidos reddit. *Plater. l. 2. de vit.* Tota planta ab ima sui parte ad cacumen usque pellucido perpolitur virote, quæ nec hybernis quidem emoritur mensibus. quin diu durat laquearibus quamvis affigatur. Ovibus gratissimum præbet pabulum. Cum enim hæ pecudes, cæli statu humido strumolis obnoxia sint tumoribus, hujus herbæ pastu recreantur & malum discutiunt. *Lemn. l. 3. Occult.*

## CAPUT XXV.

DE LAURO, LENTISCO  
ET LINO.

**L**aurus vim ignem ex sese producendi habet: Nam si exsiccata ramus frequentius affricetur ramo, super asperso sulphuris pulvere, ignis statim exilit. *Mathiol. in lib. 1. cap. 90.* Perpetuo fronde viret, tantæque pollet vi, ut ejus atvis in ramo defixis, pestis segetum rubigo abigatur, transeatque in earum folia. Romæ à Jove de cælo missam veterum opinio erat. *Plin. l. 15. cap. 30.* Namque Livie Drusillæ, quæ postea Augustæ matrimonii nomen accepit, cum pacta esset illa Cæsari, gallinam conspicui candoris, sedenti aquila ex alto abjecit in gremium illæsam. Intrepide miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramum onustum suis baccis. Conservari alitem & sobolem jussere aruspices, ramumque conseri ac ritè custodiri. Quod factum est in villa Cæsaram, fluvio Tiberi imposita, juxta nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur, Ad Gallinas, mireque sylva provenit. Ex ea triumphans postea Cæsar, Laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit. Sola inter arbores fulmine non percutitur, nisi in futura calamitatis prodigium; ac ne quidem domus in quibus rami

idum